Quelle: https://manuscripta.at/?ID=26045
Copyright: Admont, Benediktinerstift

135

in eum qui iustificat impium, deputatur fides eius ad iustitiam. Quid est ergo cre-
dere in eum? Credendo amare, credendo diligere, credendo in eum
ire et eius membris incorporari. Ipsa est ergo fides quam de nobis exigit deus, et
non invenit quod exigat, nisi donaverit quod inveniat. Quae fides, nisi quam
definivit alio loco plenissime apostolus dicens: neque circumcisio aliquid va-
let neque praeputium, sed fides quae per dilectionem operatur. Non quaecumque fides, sed
fides quae per dilectionem operatur. Haec in te sit, et intelliges de doctrina.
Quid enim intelliges? Quia doctrina ista non est mea, sed eius qui misit me, id est in-
telliges quod Christus filius dei, qui est doctrina patris, non est ex se ipso, sed filius est patris.
Sabellianam heresim sententia ista dissolvit. Sabelliani enim dicere
ausi sunt ipsum esse filium qui est et pater, duo esse nomina, sed unam rem. Si duo
essent nomina et res una, non diceretur mea doctrina non est mea. Utique si
tua doctrina non est tua, domine, cuius est, nisi alius sit cuius sit? Quod dixisti,
Sabelliani non intellegunt. Non enim trinitatem viderunt, sed sui cordis er-
rorem secuti sunt. Nos cultores trinitatis et unitatis patris et filii et
spiritus sancti et unius dei intelligamus de doctrina Christi quomodo non est eius. Et ideo
dixit non se a se ipso loqui, quia Christus patris est filius, et pater Christi est pater, et fi-
lius de deo patre deus est, pater autem deus non de filio deo deus est. Qui a semet
ipso loquitur, gloriam propriam quaerit. Hoc erit ille qui vocatur antichristus, ex-
tollens se, sicut apostolus dicit, super omne quod dicitur deus et quod colitur. Ipsum quippe
annuntians dominus gloriam suam quaesiturum, non gloriam patris, ait ad Iude-
os: Ego veni in nomine patris mei et non suscepistis me; alius veniet
in nomine suo, et hunc suscipietis. Significavit eos antichristum
suscepturos, qui gloriam nominis sui quaerit, inflatus est, non solidus, et
ideo non stabilis, sed utique ruinosus. Dominus autem noster Iesus Christus magnum exem-
plum nobis prebuit humilitatis. Nempe equalis est patri, nempe in principio
erat verbum, et verbum erat apud deum, et deus erat verbum. Nempe ipse dixit
et verissime dixit: tanto tempore vobiscum sum, et non cognovistis me, Phi-
lippe? Qui me videt, videt et patrem. Nempe ipse dixit, et verissime
dixit: Ego et pater unum sumus. Si ergo ille cum patre unum, equalis patri, deus de
deo, deus apud deum, coeternus, inmortalis pariter, incommutabilis pariter,
sine tempore pariter, creator et dispositor temporum, tamen quia venit in tem-
pore et formam servi accepit, et habitu est inventus ut homo, quaerit
gloriam patris, non suam. Quid tu homo facere debes, qui quando aliquid bo-
ni facis, gloriam tuam quaeris, quando autem aliquid mali facis deo